





G

4

1730, 4^a

IO. GOTTL. HEINECCII IC.
AVLAE REGIAE PRVSS. CONSIL. ET PANDECT.
AC PHILOS. RAT. ET MORAL. PROF. ORD.

DE

VLPIANI IVRISCONSULTI
HEBRAISMIS,

PROGRAMMA INAUGURALE
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
CANDIDATO CONSULTISS.

HENRICO DVSINGIO,

BREMENSI
MORE MAIORVM DECERNENDIS
PRAEMISSVM.

TRAIECTI AD VIADRVN MENSE MAIO
MDCCXXX.

re-
in-
ofis
tes,
o in
il-
fi
no-
ex-
an-
mir-
ora-
or-
am
io-

us,
pro
cas-
tu-
re-
ofsi,
de
re-
noc
ent
ter
in
er-
ne
at,
t



Domitium Vlpianum, νομοθέτης, vti a ΖΩΣΙΜΟ
 Lib. I. Cap. XI. adpellatur, ἀριστος, καὶ τὸ
 παρὸν εὐ διαθήκει, καὶ τὸ μέλλον εὐσέχως συν-
 ιδεῖν δυνατὸν, iuriconsultum præstantissimum,
 qui & rebus præsentibus recte vti, & futura cal-
 lide prospicere poterat, gente Syrophœnicem,
 domo Tyrium fuisse, inter omnes consta-
 re arbitror. Ipse enim magnifice collaudans *splendidissimam*
in Syria Phœnicæ Tyriorum coloniam, nobilem regionibus, serie sæculorum
antiquissimam, armipotentem, fœderisque, quod cum Romanis percussit,
tenacissimam, diserte addidit, inde sibi originem esse, adeoque
patriæ suæ memoriam ipse ad posteros propagavit in L. i. pr.
ff. de cens. Quamuis vero tot præclara, quæ reliquit, ingenii
 monumenta, vel rudera potius eorum ac parietinæ, quas
 Triboniani industriæ debemus, satis demonstrent, eum
 Græcarum Latinarumque litterarum peritissimum, nec in
 præstantissimis vtriusque linguæ scriptoribus hospitem fuisse,
 siquidem ipse ex Græcis Homerum & Hippocratem; ex La-
 tinis Ciceronem, Iunium Gracchum & Fenestellam, ac præ-
 terea terfissimæ Latinitatis iuriconsultos, Q. Mucium Scæ-
 uolam, Ser. Sulpicium, M. Porcium Catonem, M. Iunium
 Brutum, P. Rutilium Rufum, C. Aquilium Gallum, C. Au-
 lum Otilium, Aufidium Namusam, P. Gellium, C. Treba-
 tium Testam, Alfenum Varum, Q. Antistium Labeonem, &
 C. Ateium Capitonem, non dicam legit, sed in succum ac
 sanguinem conuertit: fuere tamen, quibus eius dictio non
 modo inficeta atque incomta, sed & nescio quibus barbariæ
 fordibus contaminata videretur. Quemadmodum enim in
 Liuii oratione Asinius Pollio Patauinitatem quandam; in
 Phædri fabulis elegantissimis CASP. SCIOPIVS Thracissimum
 reperisse sibi visum sunt, quas maculas non sine sale deterse-
 runt MORHOFFIVS de Patauinit. Liu. p. 159. & SCHEFFERVVS in
 vita Phædri editioni suæ præmissa: ita non desuerunt, qui
 VLPIANI dictioni aliquid stribiliginis ex origine illa Syriaca
 hæere contenderent, in eoque notarent loquutiones, auri-
 bus Latinis parum familiares, & ad Hebraismi potius,
 quam Romanæ eloquentiæ genium, compositas. Quædam
 huius

huius generis, in iure nostro passim obuia, primus, ni fallor,
 collegit vir incomparabilis, ANTONIVS AVGVSTINVS Libro IV.
 Emendat. Cap. VIII. addiditque p. 297. *Quod iurisconsulti aliquid
 ex tam barbara lingua mutuentur, nemini mirum videri debet, qui
 nouit, Vlpianum ipsum ex Syria Phœnice fuisse, quod ipse testatum reli-
 quit, Seuerumque Imp. ex Phœnissâ uxore Antoninum suscepisse, cognom-
 ento Caracallam: quo interfecto Antoninus Heliogabalus, & paullo post
 Alexander, imperarunt, homines & genere & natura Phœnices. Illis
 temporibus maxima pars nostrorum Ictorum fuit, quibus necesse erat,
 ut multa ex aliena lingua in usu essent populi Romani.* Similium
 Hebraismorum saturam haut pœnitendam nobis suffecit GIL-
 BERTVS REGIVS Enantioph. Iur. Ciu. Lib. II. Cap. XX. qui se
 hanc obseruationem præceptoris, orientalis literaturæ periti-
 tissimo, ENIMVNDO BONIFIDIO, debere profitetur. Eam GIL-
 BERTI diligentiam laudans v. c. EVER. OTTO, in præfat. Tomi
 II. Thesauri Iur. Ciu. p. XXI. iudiciumque suum interpo-
 nens: *Nec miror, inquit, quia Papinianus, Vlpianus, & Modestinus
 semiuidei fuerunt.* Quid? quod ipsi IAC. GOTHOFREDO ea sen-
 tentia placuerit. Hic enim locum quendam VLPIANI in Ani-
 maduers. Iur. Ciu. Cap. VIII. parum feliciter emendans, non
 mirum videri oportere, ait, hanc vocem vsurpatam ab Vlpia-
 no, ICTO, qui & Syro-phœnix Tyrius, & verborum nouator, non
 ἐνοματοθήρας seu νενοματίας notus, & passim notatus fuerit
 apud ATHENÆVM, Lib. III. Deipnos. Cap. XVIII. quamuis idem
 scriptor eximius memoriæ prodiderit, eum in aliis exacto-
 rem verborum tam seuerum fuisse, ut probationem eorum
 illico deposceret, hisce fere verbis: πῆ καὶ τῶν; vnde & lepidò
 admodum agnomine κατ᾽ἐκείτος vel κατὰτ᾽ἐκείτος vocari
 meruerit. Tam multis doctissimorum virorum suffragiis
 sese tuetur hæc de VLPIANO Hebraizante sententia. Et tamen
 multa hic cumulantur a viris eximiis, quæ nescio
 an non iustam eorum reprehensionem incurrant, qui non
 tam vilius auctoritate, quam veris rationibus, mouentur.
 Primum enim non consequitur, ut omnes, Tyro orti, Syro-
 phœnices ac semiuidei fuerint. Erat enim ea colonia iuris Ita-
 licæ splendidissima, & iam sub Commodò Imp. ἀυτονόμος,
 ac Phœnices metropolis, ceu ex insigni lapide apud

SCALIGERVM Canon. Ifag. p. 301. & GRVTERVM Inscript. p. mcv. demonstrat EZ. SPANHEMVS in Orbe Rom. Exerc. II. Cap. XI. p. 227. Multa ergo ibi, vti in aliis coloniis splendidioribus, Penates sibi constituiffe poterant familia Romana, & in his Domitia, ex qua Vlpianus noster prodiit. Deinde Herennium Modestinum Syrophonicem aut semiudæum fuisse, nullo idoneo argumento constare arbitror. Pro Dalmata eum habet GVIL. GROTIVS de vitis iureconf. Lib. II. Cap. XII. §. VI. sed subtimide, vti par erat, siquidem ex L. 52. §. 20. ff. de furt. hæc Modestini patria non felicius probatur, quam quod prouinciam illam tanquam Præses rexerit, id quod tamen ex illo fragmento collegit IO. BERTRANDVS de Iurisperit. Lib. I. Cap. XXX. n. III. Vt cumque se res habeat, saltim de Tyria vel Syriaca Modestini origine altum est apud veteres scriptores silentium. Denique vel maxime mirari subit, tam diffusæ eruditionis virum, IAC. GOTHOFREDVM, Vlpianum, qui ATHENAEI symposio interfuisse fingitur, cum Vlpiano iurisconsulto confundere, erroremque olim a CUIACIO Lib. XXIV. Obs. Cap. XXXIX. & IAC. LECTIO Orat. I. de vit. Vlp. p. 54. admissum recoquere potuisse, quum ipsa temporum ratio, Vlpianos istos diuersissimos fuisse, demonstret. Ille enim apud ATHENAEVM Lib. XV. Deipnos. p. 677. cognitum sibi fuisse ait Pancratem poetam, qui sub Hadriano floruit. Iam quum excessus Hadriani incidat in annum v. c. DCCCXC. nostrum autem Vlpianum circa annum demum DCCCCLXXX. a Pratoriano milite occisum esse, ostenderit TILLEMONTIVS in Hist. Imperat. Tomi III. Part. I. p. 341. & 456. consequens sane est, vt nostrum centum annorum senem fuisse oporteret, quum occideretur, si vel decem annorum puer Pancratem viderit. At senem tam capularem fuisse iurisconsultum nostrum, nemo veterum retulit, adeoque nihil certius est, quam diuersum a nostro fuisse Vlpianum, quem lepido *καταπνεύτης* cognomine exagitatum esse refert ATHENAEVS. Accedit, quod ne huic quidem ATHENAEVS dictionem peregrinam aut Hebraïsmis infectam tribuerit, sed eum tantum ob *κενοφανείον* & anxium circa verba studium notarit, adeoque ad rem plane nihil facturum esset illud ATHENAEI testimonium, si vel maxime

maxime ad **VLPIANVM** nostrum pertineret. Sed ut ad rem ipsam accedamus propius, largimur equidem **VLPIANI** orationem aliquid singulare habere, quod & v. c. **CAR. ANDR. DVKERVS** de Latinit. vet. **ICt.** p. 322. & 392. obseruauit: (habent enim aliquid singulare singuli auctores veteres, etiam praestantissimi,) neque inficiamur, eum aliquando vocabula quaedam triualia ac plebeia arripuisse: (quomodo enim talia euitaret **ICtus**, cui species, huiusmodi loquutionibus refertur, quotidie exhibentur?) at **Hebraismos** in eius fragmentis reperire me quidem nondum potuisse, id vero & fateor & praeme fero. Exempli loco **ANT. AVGVSTINVS** p. 293. sequi attulit loquutionem vnicam, ellipsin puta aduerbiorum *magis vel potius*, **VLPIANO** nostro admodum familiarem. Tale est illud in **L. 2. §. 6. ff. de iudiciis**: *Compelletur (POTIVS) iudicium accipere, quam inuenire eos, qui satis pro eo dent.* Et in **L. 1. princ. ff. de posf. Quum posset (POTIVS) non suscipere causam, quam decipere. Itemque in **L. 20. in fine ff. de adqu. vel omitt. her.** *Hec actio (MAGIS) penam vel vindictam, quam rei persequutionem, continet.* Ut omittam huius generis alia, quae in **L. 49. §. 5. ff. de legat. 1. L. 5. ff. de sissur.** & si codicis Florentini lectionem sequamur, etiam in **L. 20. §. 8. ff. de nou. op. nunc. & L. 20. princ. ff. de adqu. vel omitt. hered.** occurrunt. Haec vero **Hebraismum** redolere vel ideo existimat vir doctissimus, quod & **Hebraei**, comparatiuo gradu destituti, positiuis subiungant praefixum ׀ veluti **Psalmo CXVIII, 8.** טוב ה'חסות ביהוה מבטח בני יובים *Bonum est, confidere in Domino, quam spem collocare in principibus.* Quod & noui federis scriptores sacri pasim imitantur, v. c. **Luc. XVIII, 14.** κατέβη ἄστος δεδμαγωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ ἐκεῖνος. & **1. Cor. XIV, 19.** Ἄλλ' ἐν ἐκκλησίᾳ θέλω πέντε λόγους διὰ τὰς τοὺς μὲν λαλῆσαι, ἢ μυρίας λόγους ἐν γλώσσει. Omitto loca alia, quae iam collegit vir doctissimus **LAMB. BOS** in **Ellips. Græc.** p. 327. Enimvero si hic **Hebraizat VLPIANVS**: commune id habebit cum aliis iurisconsultis eximilis, imperatoribus & melioris aui scriptoribus, Latinis quorum nullus origine Syrus fuit. **IULIVS PAVLVVS**, in Italia natus eodem modo loquitur in **L. 2. §. 1. ff. de reb. cred.** nec minus ea ellipsis placuit **IULIO PROCVLO** in **L. 12. ff. de offic. pres. CRVIDIO SCAEVOLAE** in **L. 100. pr. ff. de legat. 3.** **MARCIANO****

in L. 1. ff. de mort. caus. don. MODESTINO in L. 3. ff. de alim. & cib. legat. & L. 12. ff. de pollic. ac præterea Imperatoribus DIOCLETIANO & MAXIMIANO, in L. 19. C. de liberal. caus. CONSTANTINO M. & LICINIO in L. 8. C. de iudic. & IUSTINIANO denique in L. ult. C. de usufr. Denique si Hebraïsmum ideo redolet VLPIANI dictio, quod ea ellipsi magnopere delectaretur: eundem redolebit eloquutio præstantissimorum scriptorum, qui omnes ita loquuti sunt sæpissime, ceu a IVSTO LIPSIUS in *Epistol. Quæst. Lib. V. ep. XXIII.* AVS. POPMA de usu antiqu. loquit. *Libr. II. Cap. XI.* FRANC. SANCTIO in *Minerua* p. 519. & deniq; TAVBMANNO in *Not. ad Plaut.* p. 1035. iam pridem obseruatum est. Quid quæso similius Vlpiani loquutionibus reperire possit illis PLAVTI in *Rudent. Act. IV. Scen. IV. v. 70. Tacita (MAGIS) bona est mulier semper, quam loquens?* Quid illis LIVII *Lib. III. Cap. XL. C. Claudii, qui patruus Appii decemviri erat, oratio fuit precibus, (MAGIS) quam iurgio similis?* Quid illis GELLI *Lib. II. Noct. Attic. Cap. VII. Declinanda (POTIVS) semper, quam respicienda?* Quid illis TACITI *Lib. IV. Annal. Cap. LXI. Agrippa claris (POTIVS) maioribus, quam vetustis: & Lib. I. Cap. LVIII. Pacem (POTIVS,) quam bellum probabam.* Denique *Lib. III. Cap. XVII. Respondente nullo, miseratio (MAGIS,) quam invidia, augebatur.* Ad quem postremum locum & M. VERTRANIVS MAVRVVS notat, loquutionem hanc, qua familiarissime vsus sit Cornelius, ad imitationem Hebræorum compositam esse, quum neminem, qui Græcis litteris vel leuiter tinctus est, ignorare posse existimem, inter illius linguæ elegantias esse ellipsin aduerbii *μᾶλλον*, quam HOMERO, THEOGNIDI, THVCYDIDI, LONGINO aliisque auctoribus præstantissimis in deliciis esse, docuit LAMB. BOS in *Ellips. Græc.* p. 328. sequ. Hæc ANT. AVGVSTINVS in VLPIANO notauit. GILBERTVS REGIVS, qui & ipse nasum Rhinocerotis habet, Hebraïsmum sibi deprehendere visus est in verbo INTERDICERE, quod VLPIANVS eo sensu adhibuerit, quem Hebræorum coniugatio *Hiphil* præ se ferat, ut idem sit ac *facere, ut interdicator.* L. 3. §. 6. ff. *uti possideris* nec non in verbo TESTARI, quod ille acceperit pro *facere, ut quis testetur, vel testimoniis probare.* L. 25. pr. ff. *ad L. Iul. de adult.* Sed & hic ratio fugit bonum GILBERTVM, nec magis illæ phrasæ VLPIANI Hebraicæ

Hebraicæ sunt, quam illa ab ANT. AVGVSTINO notata ellipsis. *Interdicere cum aliquo*, in sensu transitiuo loquutionem esse Latinissimam, discere potuisset ex loco QVINCTILIANI Libr. III. Inst. Cap. VI. *Non debuisti INTERDICERE, sed petere.* Et verba: *rei testanda causa* in L. 25. princ. ff. ad L. Iul. de adult. non magis Hebraismum sapiunt, quam hæc CICERONIS pro M. Coel. Cap. XXVII.: *Nam necesse est, fuisse non paucos, ut & comprehendi Licinius facile posset, & RES multorum oculis esset TESTATOR.* Sed alia huius generis pleniore manu ferere gestienti manum mihi iniicit candidatus dignissimus, HENRICVS DVSINGVS, Bremensis, cuius honoribus hoc qualicumque schediasmate præludere institui.

Incunabula eius primum vidit Brema, inclita ad Visurgin ciuitas, VII. Kal. Febr. anni æræ Dionysiacæ M DCC VI. Patrem venerat virum amplissimum consultissimumque, DETHARDVM DVSING. I. V. D. & reip. patriæ iam a decem annis Senatorem grauissimum, quem dignitatis gradum & auus DIDERICVS, & proauus, GERHARDVS DVSINGII, magnarii in patria celeberrimi, quam diutissime tenuerunt: matrem ADELHEIDAM VON DEM BVSCH, singularis exempli matronam, HENRICI VON DEM BVSCH, Medicinæ Doctoris & Poliatri gratiosissimi filiam natu minimam. Parentes illi honestissimi, prout decet, nihil reliqui fecerunt, ut filium ad probitatem eamque, quæ in maioribus enituit, virtutem a primis fere vnguiculis instituerent. Hinc non modo ipsi curam illius singularem in se susceperunt, sed & magistris, qui Padagogium Bremense ornant, docendi dexteritate celeberrimis, magis magisque indies perpoliendum tradiderunt. Emensus hoc primum stadium, anno MDCCLXIII. circa auctumnum in illustre Lyceum, quod ibidem floret, recipi meruit, fasces tunc tenente viro magnifico & admodum reuerendo, ALBERTO SCHMACHERO, S. S. Theol. D. & Professore celeberrimo, catusque Anshariani Ecclesiæ disertissimo. Ex eo tempore quoad his Musis interfuit, a virorum doctissimorum latere nunquam discessit, sed quotidie eos audiuit, cum vniuersæ philosophiæ disciplinas, tum iurisprudentiæ partes præcipuas ea, qua par est, fide atque industria publice ac priuatim interpre-

interpretantes. In his vel maxime se obstrictum fatetur
V. C. CASPARO A RHEDEN, I. V. D. & HENR. GERARDO SCHVMA-
CHERO I. V. D. & Professoribus tunc celeberrimis, nunc rei-
publicæ patriæ Senatoribus grauisimis, itemque FRANCISCO
BERENS, I. V. D. & Historiarum Prof. P. & denique IO. SCHOE-
NE I. V. D. & Professori de suis cuique muneribus meritissi-
mo. E quorum acroasibus tanto vberiore cepit fructum,
quanto diligentius ea omnia, quæ audiuit, illi in memori-
am domi reuocauit vir consultissimus NIC. EGGERS, iam I. V. D.
& Aduocatus facundissimus, quo tunc noster se præceptore
domestico vsum esse, non sine grati animi significatione
refert. Ita ad maiora præparatus, anno MDCCXXVII. visis in
itinere Hanouera, Cassellis, Marpurgo, vbi tum sacra sæcu-
laria non sine insigni adparatu ac splendore faciebat aca-
demia, nec non Giessa, Francofurto ad Mœnum, Mogun-
tia, Bonna, Colonia Agrippina, Dusseldorpio, academia
Duisburgensi ad Rhenum ipsis Nonis Septembris nomen
dedit, & ex prælectionibus excellentissimorum Ictorum,
SVMERMANNI & ZAVNSCHLIFFERI per annum profecit. De-
mum anno insequente, iussus ab amplissimo Parente, in il-
lustrem hanc Viadrinam se contulit, in albumque nostror-
um relatus, prælectionibus virorum doctissimorum HOFF-
MANNI, RINGKII, DIETHMARI, & meis præcipue, assidue huc-
vsque interfuit. Quantum profecerit, testatissimum fecit
in vtroque examine, cui se nuper modeste submisit. Quum
itaque in eo talem se præstiterit, vt nihil iam reliquum vi-
deatur, quam vt & publice in arenam prodeat: facturus id
est proximo, d. X. Maii defensurusque dissertationem de
RELIGIONE IUDICANTIVM CIRCA REORVM CONFESSIONES. Cui
conflictui vt omnes Academia nostræ fautores, proceres,
ciues frequentes interfint, quam humanissime rogo.
P. P. Traiecti ad Viadr. ipsis Non. Maii cło Iocccxxx.




ULB Halle
007 662 904

3



V18







B.I.G.

Farbkarte #13

g

1730, 4^a
4

IO. GOTTL. HEINECCII IC.
AVLAE REGIAE PRVSS. CONSIL. ET PANDECT.
AC PHILOS. RAT. ET MORAL. PROF. ORD.
DE
VLPIANI IVRISCONSULTI
HEBRAISMIS,
PROGRAMMA INAUGVRALE
SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
CANDIDATO CONSVLTISS.
HENRICO DVSSINGIO,
BREMENSI
MORE MAIORVM DECERNENDIS
PRAEMISSVM.
TRAIECTI AD VIADRV MENSE MAIO
M DCC XXX.

